

Cap. V. Rubrica de dacio vini venditi ad grossum vendendo et per quem modum exigatur. R.ca.

**S**tatuimus quod dadium vini quod venditur ad grossum in civitate Tergesti omni anno incantetur et incantari debeat a die decimo cuiuslibet mensis decenbris in antea usque ad quindecim dies, et capite dictorum quindecim dierum deliveretur super scalas palacii comunis plus offerenti. ¶ Et quelibet persona que emerit dictum dadium ipsum habere et tenere ac exigere debeat per annum unum completum, incipiendo a die decimo mensis ianuarii sequentis in antea usque ad complementum anni. Et solvere debeat et teneatur emptor ipsius daciai precium emptionis datii prefati in fine omnium quatuor mensium anni predicti pro rata precii venditionis predictae, et dare debeat bonam et ydoneam securitatem de solvendo, prout 15

247 B in statuto // de venditione daciurum comunis continetur. ¶ Et quelibet persona vel habitatrix Trigesti que emet vinum in civitate Tergesti ex aliquo vase<sup>1)</sup> sive butisella uno vel pluribus, ac etiam nomine pignoris vel quocunque alio modo sive ingenio acceperit vas vel butisellas vini unam vel plures, aut 20 modo quocunque acquisiverit ipsum vinum extra vassa vel butisellam, solvere debeat et teneatur daciario predicto sive emptori ipsi daciai unum gross. pro qualibet urna et in ratione urne, sub pena libr. quinquaginta par. pro quolibet contrafatiente et qualibet vice contrafacta. ¶ Et si persona, que emerit vel modo 25 quocunque acquisiverit tale vinum, ipsum vinum vendere voluerit in taberna, nichilominus solvere debeat daciario tabernarie gross. duos pro qualibet urna. ¶ Exceptis forensibus ementibus vinum causa portandi extra civitatem Tergesti, qui non teneantur ad dictum dadium solvendum. ¶ Salvo tamen quod, si talis 30 forensis unus vel plures ementes vinum causa portandi extra civitatem Tergesti, ipsum vinum revenderent alicui alteri persone in civitate Tergesti vel alio quocunque modo alienarent, ipsum dadium solvere teneantur sub eadem<sup>2)</sup> pena. ¶ Et quod

<sup>1)</sup> Aggiunta marginale.    <sup>2)</sup> eodem.